

ORATIONEM PANEGYRICAM

63.

IN

DIEM NATALEM

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS

FRIDERICI QVINTI

DANIAE NORVEGIAE VANDALORVM
GOTHORVMQVE REGIS

SLESVICI HOLSATIAE STORMARIAE DITHMAR-
SIAE DVCIS OLDENBVRGI ET DELMEN-
HORSTI COMITIS REL.

PRIDIE CAL' APRIL'

A

DETLEVO BOTSACCO STERNHAGENIO

ECKERNFÖERDA SLESVICENSI

IN IVLEO MAIORI

HABENDAM

OBSERVANTER INDICIT

IO. CHRISTIANVS WERNSDORF

ELOQ' VTRIVSQVE P' P' O' ET ORD' PHILOS'
H' T' DECANVS

HELMSTADI

LITTERIS LEVCKARDIANIS

6a

ORATIONEM PANEGYRICAM

IN

DIEM NATALEM

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS

FRIDERICI QUINTI

DANIAE NORVEGIAE VANDALORVM
GOTHORVMQVE REGIS
SERENICI HOLLANDIAE STOKMARIAE DITHMAR-
SIAE DVOR. OLDENBVRGI ET DELMEN-
HORSTI COMITIS REG.

FRID. CALASSI

DELLEVO BOTSACCO STERNHAGENIO

LEIPZIGENSIS

IN VILEB. MAIORI

MDCCLXXII

GEORGIUS WERNSDORF

IO. CHRISTIANVS WERNSDORF

THEOP. TYRIVIVS P. O. ET ORD. PUBLIOT.
H. T. DEANVS

HELMSTADI

BITTERRIS PISCENARIANIS





Est omnino Daniae prae aliis Europae regnis haec singularis admirabilisque felicitas, quod in tantis belli motibus, quibus nunc uniuersa fere Europa cietur, ipsa ab omni contagione et timore belli libera, altissima quiete et perpetua pacis inconcussae dulcedine perfruitur. Hoc tanto beneficio se affectam intelligit cura et prouidentia Regis sui sapientissimi, FRIDERICI, cui Deus eam mentis benignitatem, id ingenium amabile dedit, ut imperium suum non alia magis, quam pacis tuendae, gloria illustratum uelit, terrorem et uim omnem a ciuibus suis arceat, securitatem iis et rerum omnium copiam praestet, eaque re clementiae et mansuetudinis, qua pectus suum redundat, fructum per omnes regni sui partes dispensare cupiat

Fortunam regni Danici consideranti haud temere ad animum occurrunt uerba Q. CURTII, quibus Tyri, nobilissimae antiquissimaeque urbis, fortunam designat. *) Hanc olim multis defunctam casibus, et ab Alexandro M. excisam, sed postea renatam, nunc, ait, *longa pace cuncta resouente, sub tutela Romanae mansuetudinis acquiscere.* Quibus in uerbis obseruari meretur iudicium CURTII, quo longae paci eam uim tribuit, quae fractas adeo et debilitatas reipublicae opes instaurare de nouo et confirmare queat, eiusque incrementi causas repetit a Romana mansuetudine, quae tutelam et praesidium praestiterit Tyriis, ut longa pace frui possent

Digna omnino nec rara in ueterum scriptorum monumentis praedicatione effertur Romanorum humanitas et mansuetudo, nec immerito ea inter praecipuas uirtutes artesque Romanorum refertur, quibus et imperium orbis terrarum constitutum, et multarum gentium felicitas confirmata sit. Neque enim deuictae gentes, immanes et barbarae, Romanorum imperium uel recipere libenter, uel patientius ferre potuissent, nisi uictorum mansuetudine, qua ferocissimus quisque deliniri solet, comiter habitae, pristinam deponere feritatem didicissent, seque aequissimis Romanorum legibus uidissent multo fieri fe-

aud

) 2

licio.

*) Lib. IV, cap. 4.

liciores. SVLPICIA quidem *) has Romanae magnitudinis
causas, nec falsa, recenset:

Duo sunt, quibus extulit ingens

Roma caput, uirtus belli, et sapientia pacis.

Sed utriusque si comparatio instituenda sit, haud uerear eorum
sententiae accedere, qui pacis artibus primas tribuendas esse
maiestatis Romanae existiment. Sicut enim maius difficilius-
que est parta tueri, quam acquirere, ita uastum regere im-
perium, populos legibus moribusque dispares in officio conti-
nere, pacisque firmare praesidiis, excellentioris certe uirtutis
est, quam hostem semel profligare bello, urbes expugnare, et
nouam prouinciam adiacere imperio. In bello effi haud exi-
guae partes sunt prudentiae, plurimum tamen sibi uindicat for-
tuna, at pacem tueri consilio et prouidentia, id totum, quan-
tum est, esse uidetur imperantis. Et pace diuturna deuictis po-
pulis concessa, ut uires recolligant, et opibus accumulatis, iu-
uentute et rerum omnium copia affluente, conualescant, tum
uero illud robur accrescere imperio uidetur, quo subnixum
formidinem incutere cuius hosti, suisque se uiribus tueri pos-
sit. Itaque Romani, armis suis per orbem terrarum circumlatis,
haud aliam sibi gloriam quaesierunt, quam quae pacis propria
est, ut bello pacem orbis terrarum confirmarent. Et quamquam
summum armorum studium professi Martem, a quo et genus
ducerent, ut VICTOREM, VLTOREM et PROPUGNATO-
REM celebrabant, eundem tamen et PACIFERVM, et PA-
CATOREM dicebant, **) neque minus Pacem Deam, Con-
cordiam, Mentem boni auctorem consilii, alioque pacis prae-
sides Deos, Romae consecrauerant. Pacis autem beneficium,
quod tribuebant gentibus, in fidem et tutelam suam receptis,
duce ipso, quem citauimus, CVRTIO, haud aliunde, quam
a Romanorum mansuetudine, repetendum est, quae in ipso
armorum cursu, in uictoriis, in ciuibus et sociis demerendis
saepius spectata, multis ueterum auctorum locis celebratur.
Sed facta illustria, in quibus Romana mansuetudo intellecta
est, curatius intuentes, uidemus eam duabus maxime in re-
bus

*) In Satira, uers. 20.

**) Vid. BEGERVS Thes. Brand. Tom. II. p. 738 et 757.

bus enituisse, in moderatione temperamentoque potentiae, et in aequabilitate iuris ciuibus sociisque omnibus praestandi. Moderationem adhibebant potentiae, quod iure uictoriae moderatius uti consueuerunt, et uictos eodem fere die socios adsciscabant, quo hostes habuerant, quod ignoscere laceffentibus, et parcere subiectis potuerunt, quod aliis ciuitatem dabant, aliis modicum imponere stipendium contenti, ceterum suis legibus moribusque uiuere permiserunt, quod denique uim et arma abesse uoluerunt, ubi iuri et iudicio locus esset, et res pactis et fide mutua posset transigi. Aequabilitatem iuris ita impertiebant suis, ut prouincias, missis in eas Praetoribus, armis non minus defenderent quam legibus suis, eodemque, quo ipsi, iure uti paterentur, ut socios omni ope tuendos, eorumque iniurias uindicandas putarent, perinde ut suas, eos denique, ut quam amplissimi potentissimique essent, opibus suis ipsi iuuarent. Hac tam mansueta moderatione imperii efficiebant Romani, ut magni haberentur et essent, et nullus esset orbis terrarum populus, qui maiestatem Romanam non reuereretur, et eius sub tutela degere felicitatem putaret

Quo plus autem Romani ad tuendum amplificandumque imperium humanitate et mansuetudine usi sunt, hoc magis eandem, rerum summa ad Caesares delata, laudarunt in Principibus suis, quorum ut quisque benignior moderatiorque erat, hoc maior digniorque imperio Romano habebatur. Quam autem, libera republica, laudabant mansuetudinem moderandae imperii potestatis, eam in Principibus uocare solent ciuilitatem. Quam quidem uirtutem plerique ueterum interpretes, ob reconditum uocabuli usum, perperam referunt ad comitatem et elegantiam morum, cum sit mere πολιτικη, ut recte obseruauit CASAREBONVS. *) Intelligitur enim ea moderatio Principis, qua potestatem imperandi molit, et quodam ueluti condimento temperat, omnes autem ciues suos aequo et communi iure complectitur. Quanam uis sit ciuilitatis principalis, et qui mores, SVETONIVS in

*) Ad SVETON. Aug. cap. 51.

uita Augusti **) tot exemplorum luminibus declarauit, ut, iudice BOECLERO, ***) nusquam hoc argumentum uel plinius uel prudentius tractatum reperiatur, et alii scriptores in ceteris Principibus, quos optimos respublica Romana habuit, eam uirtutem in primis praedicant, PLINIUS maxime in Traiano, in Antonino Pio CAPITOLINUS, in Alexandro Seuero LAMPRIDIUS. Hos ipsos Principes legimus Patris patriae nomen, uero animo delatum, ex meritis recepisse, Domini autem seuerè recusasse, *) ut qui nihil tam aduersum ciuili imperio putarent, quam superbiam et asperitatem domini, et cum ciuibus suis, quasi cum liberis parentes, uiuere malent. **) Eo animo paterno ciuilis Princeps remittit uim potestatis suae, ubi intendere posset, et obsequium amore conciliatum potius, quam coactum, sibi praestari cupit. *Ciuile est*, inquit PLINIUS, ***) *et parenti publico conuenientissimum, nihil cogere*; et SVETONIUS hoc moderationis Augusti documentum, inter alia plura, memorat, *quod forum augustius fecerit, non ausus extorquere possessoribus proximas domos. ****)* Idem nihil prius habet salute et incolumitate ciuium, opes eorum fide diligentiaque pari seruans et accumulans, quae tanta fuit in Antonino Pio, ut *omnia et omnes, quasi sua essent, curaret, provinciaeque sub eo cunctae flourerent.* *) Aequabilitas communis iuris hoc diligentius obseruatur a ciuili Principe, quo magis ipse cum ciuium salute suam coniunctam esse putat, neque alia re maiorem se superioremque aliis probat, nisi iuuandi et benefaciendi potestate. Magnus itaque et potens est sine ullius diminutione: florentes et fortunatos esse bene meritos cupit, modo ne aliis id fraudi sit, et

accresce-

**) A cap. 52 ad 57.

***) In comment. Plin. cap. 2, II.

*) SVETON. Aug. 53, et 58. PLINIUS Paneg. cap. 21. CAPITOLINUS in Pio, cap. 6. LAMPRIDIUS in Alexandro, cap. 4.

**) De Traiano haec usurpat PLINIUS, l. c.

***) Paneg. cap. 87.

****) SVETON. Aug. 56.

*) CAPITOLINUS in Pio, cap. 7.

accrescere ipsi sibi putat, quod cuique adstruatur. **) Augustum, SVETONIVS refert, ***) amicos ita magnos et potentes in ciuitate esse uoluisse, ut tamen pari iure essent, quo ceteri, legibusque iudicialis aequae tenerentur. Alexandro autem, teste LAMPRIDIO, *) dies nunquam transit, quin aliquid mansuetum, ciuile, piuum faceret. Huius ciuilis aequitatis quaedam quasi dispensatrix est facilitas moris et humanitas, in admissionibus et quadam communitate uitae spectata. Quae uti Principem ciuibus quodammodo aequat et propius admouet, ita efficit, ut ciuilitas eius exprompta magis et exposita ciuium sit desiderii. Itaque tam amabilem humanitatem ueteres non omittunt in optimis Principibus obseruare, eorumque comitatem, in salutationibus quorumcunque admittendis, excipiendisque aduentum desiderii, admirabilem collaudare. **) Augustus in primis officia cum multis mutua exercuisse dicitur, et dies cuiusque solemnes frequentare non prius, quam grandi iam natu, defuisse. ***) De admissionibus autem humanissimum extat Hadriani iudicium, qui cum esset in colloquiis etiam humillimorum ciuillissimus, detestabatur eos, qui sibi hanc uoluptatem humanitatis, quasi seruantes fastigium Principis, inuiderent. *) Vere enim non detrahit fastigio Principis aequata cum ciuibus humanitas, sed potius, quod amorem imperanti, et imperio firmitatem conciliat, magnum Principem et uenerabilem efficit. Omnino enim de ciuilitate imperantis ualet, quod Traiano olim a Senatu acclamatum est: *Tanto maior! tanto augustior! Nam cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si se ipse submittat, securus magnitudinis suae **)*

Tam amabilem humanitate Principem hodie in REGE suo Dani uenerantur. Quem uident tanta cura rebus suis prospici-

**) PLINIVS paneg. cap. 62.

**) Cap. 56.

*) Cap. 20.

**) PLINIVS Paneg. 47. SVETON. August. 53. CAPITOLINVS in Pio, cap. 6. LAMPRIDIUS in Alex. cap. 4, et 20.

**) SVETONIVS l. c.

*) SPARTIANVS in Hadr. cap. 20.

**) PLINIVS Paneg. cap. 71.

spicere, tanta ciuilitate et indulgentia uniuersos ciues comple-
 cti, ut se multo feliciores, quam olim Titus Traianisque suis
 Romani, existiment, neque alio honore nominis, putent, uerius
 et magnificentius grati deuotique animi sui sensum declarare,
 quam appellatione PATRIS PATRIAE suae. Indulgentiae eius
 paternae magnitudinem, in felicitate omnis generis populo suo
 procuranda, spectatam, totque iam documentis, ad posteritatis
 memoriam insignibus, compertam, nunc cum maxime intelligunt Dani,
 quod, aliis circa populis tristissimo afflictis bello, ipsi sub
 tutela mansuetudinis REGIAE sic acquiescunt, ut non modo
 secure quieteque agant, sed et bonis, fortunis, opibus efflorescant
 magis, et Optimi REGIS sui mansuetie, clementerque factis
 ipsam pacis, qua perfruantur, suauitatem mirifice augeri sentiant.
 Quae res uti omnium Danorum animos gratissimo religionis
 in REGEM suum sensu afficit, ita maxime nostros e Danicis
 prouinciis ciues excitauit, ut pietatis suae qualicumque
 documento publice significationem dare cuperent, redeunte
 in fastis die, qui, nato REGE optimo, tantum patriae suae
 bonum indulsit. Elegerunt autem pietatis suae interpretem
Detleuum Botfaccum Sternhagenium, Eckerhoerda
 Schlesuicensem, iuuenem uirtute et doctrina eximium,
 qui crastino die, REGIS Daniae natali, in luleo maiori,
 hora decima, prodibit in publicum, et oratione germanica
 felicitatem regni Danici, pacifico FRIDERICI V imperio
 stabilitam, praedicabit, simulque uota pro salute et perpetuitate
 REGIS optimi nuncupabit. Neminem fore arbitrari in ciuitate
 litterata, quin laudibus REGIS faueat, omnis memoriae
 benignissimi, et in litteratos maxime indulgentis. Quo magis
 confidimus, institutum oratoris bonis omnibus se probaturum,
 et proinde MAGNIFICVM ACADEMIAE PRORECTOREM,
 ILLUSTRISSIMOS COMITES, PATRES ACADEMIAE, FAVTORES
 LITTERARVM, COMMILITONES HVMANISSIMOS, ut ei dicenti
 frequentes adesse, suamque accommodare beneuolentiam ne
 grauentur, obseruanter officioseque rogauimus. P. P. III. Cal.

April. A. R. S. c1510 cclix


35. Progr. in Fun. Stiliae Heinemannii, Com. Hrovnge, vnyng. 1661.
 36. Bodmereri phil. et theol. stud. 1665.
 37. Fiknadersi progr. orationis — a Braunfeldt praem. 1663.
 38. progr. in Fun. puellae An. Mariae Krohn. 1666.
 39. — An. Marg. Nagleri. 1666.
 40. — — puelluli Joh. Rixneri. 1666.
 41. — — Jenelli Joh. Fr. Rixneri. 1666.
 42. — — An. Eleon. Ackeri. 1666.
 43. Carin. grat. ad Busmannum. 1667.
 44. Ode in caritatem. 1678.
 45. Andri. Helm. Hellberg gratulatio Acad. Juliae prof. 1778.
 46. Progr. Henrici Wilschurpi. 1680.
 47. Festu. nupt. Carl. Anoltri Drumbricht. 1678.
 48. Lat. ac debet. officium ad evadum. 1678.
 49. Pia vota ad Lud. Fabrum sponsum et — Senram. 1679.
 50. Progr. in Fun. matris Bornemanniae, Cansmanni viduae. 1691.
 51. Progr. tot. Rempen. 1709.
 52. Progr. in Fun. An. Cath. Rineritiae, Hornesii vnyng. 1649.
 53. Progr. XII Nov. A 1693.
 54. — in Fun. An. Syph. Schmerhenniae, Sitt. Theod. Ackeri vid. 1702.
 55. — Agnerae Kochner, Carp. Turberii vid. 1712.
 56. Abbrüderungsrede abguldysraam Veigt.
 57. Progr. in Fun. Homburgii Selt. 1714.
 58. Catalogus scriptorum in div. acad. editorum. 1732.
 59. Progr. in Fun. Carolif phil. stud. 1757.
 60. Musurgia Topapii 1757.
 61. — Siedlii. 1758.
 62. — Laur. Heideri. 1758.
 63. De vita Frobenii. 1756.
 64. Gratia panegygr. in diem nat. pini. FridERICI V, davis et
 65. De des principitate. Progr. in christi natal. die. 1759.
 66. Progr. in fest. Michaelis. 1762. —

96
1233

— Nonnulla deunt —

ULB Halle 3
001 920 952







63.

ORATIONEM PANEGYRICAM
IN
DIEM NATALEM
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS
FRIDERICI QVINTI
DANIAE NORVEGIAE VANDALORVM
GOTHORVMQVE REGIS
SLESVICI HOLSATIAE STORMARIAE DITHMAR-
SIAE DVCS OLDENBURGI ET DELMEN-
HORSTI COMITIS REL'
PRIDIE CAL' APRIL'
A
DETLEVO BOTSACCO STERNHAGENIO
ECKERNFOERDA SLESVICENSI
IN IVLEO MAIORI
HABENDAM
OBSERVANTER INDICIT
IO· CHRISTIANVS WERNSDORF
ELOQ' VTRIVSQVE P' P' O' ET ORD' PHILOS'
H' T' DECANVS

HELMSTADI
LITTERIS LEVCKARDIANIS

